



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118650**

§. 63. Renati Biragi Franciæ Cancellarii obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](#)

**Sæcul. XVI**

A.C. 1583.

tem annis elegantur, quæque in vita honestæ laude vixerint octo annis falem, postquam Religionem professæ fuerunt. Denique examinavit Synodus ea, quæ concernunt sepulturas, jurisdictionem ecclesiasticam, visitationem, bonorum ecclesiasticorum conservationem, eorumque alienationem, Seminaria, Scholas, & Universitates: porro cuncta hæc statuta a Gregorio XIII. Papa Romæ edito diplomate die octava Octobris anno sequenti millesimo quingentesimo octogesimo quarto fuere confirmata, Regisque auctoritate promulgata.

## §. LXIII.

*Renati Biragi Franciæ Cancellarii obitus.*

*Thuan. t. 78.  
Ciac. t. 4.  
pag. 57.  
Journal.  
l.c. p. 66.*

Hoc item anno Renatus Biragus Franciæ Cancellarius, ac Cardinalis naturæ debitum solvit. Natus is erat ex illustri Mediolanensium Familia in nuperis Italiæ bellis semper Franciæ addicta, Patremque habuit Renatum Galeatum Biragum olim Mediolanensis Ducis Oratorem apud Cæfarem, Matrem vero Theodoram Trivultiam Franciæ Marescalli nomine Trivultii Filiam. Porro Renatus in Franciam deductus jurisprudentiæ laurea ibidem decoratus fuit, & regnantibus Francisco I.

Hen-

Henrico II. Carolo IX. & Henrico III. Sæcul. XVI.  
maximi momenti negotia pertractabat, A.C. 1583.  
ac primo Parisiensis Senatus Consilia-  
rius, postea libellorum supplicum Ma-  
gister, atque eo tempore, quo Galli  
Pedemontium occupaverant, Taurinen-  
sis Curiæ Præses, demumque Cancel-  
larius renuntiabatur: postea Valentiae  
Balbianæ ex nobili prosapia Matronæ  
desponsatus plures ex ea liberos suscep-  
pit, quibus tamen præmatura morte  
ereptis nonnisi unicam filiam nomine  
Franciscam, quæ Joanni Lavalio Nes-  
lensi Marchioni nupta erat, vita super-  
stitem habebat, mortua autem conju-  
ge sua sacræ militiæ nomen dabant Re-  
natus, Regisque Christianissimi, & de-  
mum augustissimi Cæsaris Orator ad Tri-  
dentinam Synodum decernebatur, inde  
vero reversus cum Alphonsus Vercel-  
lensis supremus Catharinæ Medicææ  
Eleemosynarius vivis eriperetur, Lute-  
vensis Episcopus, cedente autem Joan-  
ne Morvillerio Aurelianensi Præsule  
regii Sigilli Custos nominabatur: de-  
mum vero mortuo Hospitalio Cancel-  
larii dignitatem anno Christi millesimo  
quingentesimo septuagesimo tertio ob-  
tinuit, atque ad Henrici III. preces,  
postquam ob grave senium Sigilli regii  
custodiam abdicaverat, anno Salutis  
nostræ millesimo quingentesimo septua-

H 5 gesimo

**Sæcul. XVI.** gesimo octavo Cardinalium Collegio  
A.C. 1583. adscriptus est, ac paulopost cum Rex  
 prima vice Equites crearet, ipse Ordini  
 sancti Spiritus Commendator no-  
 minabatur.

Tandem Parisiis hic Cardinalis die  
 vigesima quarta Novembris, ætatis suæ  
 anno circiter septuagesimo octavo de-  
 cessit in sui Prioratus monasterio ad san-  
 ctam Catharinam de valle Scholarium,  
 quas ædes ipsus prorsus magnifice ex-  
 strui curabat, ut ibidem monumentum  
 suum ponere posset. Corpus ejus lecto  
 magnifice instructo imponebatur, at-  
 que in capite mitram gestans penes  
 pedes rubrum galeruin una ex parte,  
 ex altera vero pœnitentiæ habitum una-  
 cum fune, flagello, & rosario adjectum  
 habebat, hocque apparatu per octo dies  
 ad populi satisfactionem exponebatur.  
 Ceterum Vir erat generosus, ac pru-  
 dens, ingenio candido, & liberali præ-  
 ditus, cum vero exterus esset, & parum  
 juris Galici gnarus, ideo minus  
 tanto Magistratu dignus habitus est:  
 cum tamen quavis alia maxima digni-  
 tate, sive fides, sive prudentia, & re-  
 rum aliarum usus spectetur, esset dignissimus.  
 Ceterum quamvis tot Regibus sua  
 præstitisset obsequia, nihilominus pau-  
 per obibat: nullatenus enim erat am-  
 bitiosus, magis pro suis amicis, ac fa-  
 milia-

miliaribus, quam pro semetipso sollicitus: eapropter paucis ante obitum suum diebus dicere solebat: „morior „tanquam Cardinalis sine titulo, Pres „byter sine beneficio, & Cancellarius „absque Sigillo:„ obtinebat tamen Abbatiam sancti Petri Senonensem, & Flaviacensem, ac Longo-pontensem, præter Suvignensem Prioratum.

Sæcul. XVI.

A.C. 1583.

Feria tertia die sexta Decembris Corpus ejus a Confratribus Sodalitatis regiæ Pœnitentium, cuius etiam Sodalis erat hic Cancellarius, deferebatur, atque in Sacello Ecclesiæ ad Sanctam Catharinam sepeliebatur, ubi ipius pariter Valentiæ Balbianæ uxori suæ monumentum posuerat: Cancellarius vero Chivernius eidem mausoleum erigi curavit, quod hodie vicitur: porro eidem magna pompa parentatum est, nam ipsi Guifii, & Borbonii Principes, amplissimusque Ordo Senatorius una cum reliquis Urbis Ordinibus, & Universitate Parisiensi funus comitabantur: insuper ipse etiam Rex unicum Espernonio Duce Pœnitentium vestes indutus exequiis interesse voluit: Reginaldus vero de Beune Bituricensis Episcopus defuncti merita oratione funebri deprædicabat.

## §. LXIV.